

§. 1. De praeceptis hujus libri (Alcorani) quare quis questionē querimoniamve movet? post constitutum enim Alkoranū quidquam inde mutare nefas est. Surat. 13. Tecum disputare volentibus dici to: DEVM solum omnes actus tuos cognoscere, qui die postremo lites omnes & contrarietates discutiet. homines incredulos sic alloquere, ego quidem legem vestram atque sectam minimè sequar, nec vos meam. Igitur mihi mea maneant & vobis vestra. Surat. 25, 32, 113. hinc graves in disputatores diræ fulminatæ. Surat. 11. Lex Mahometica, inquit Job. Andreas in confus. sect. Mahom. cap. 12, pag. 158. nullam admittit rationem aut disceptationem: clare prohibetur omnis disputatio cum Iudæis aut Christianis. hinc facilis captura simplicium, causam augmentationis hujus sectæ, addit, quia Mahometes legem dedit genti rusticæ, barbaræ, idola colenti, indoctæ, nec in ea reperiebatur vel Astrologus, vel Physicus, vel Logicus, vel Philosophus; quod si Mahometes dogma suum proposuisset inter Philosophos, Logicos, Astrologos, aut homines civiles, ut Apostolis Christi cum literatissimis Iudæis & Ethnicis res erat, sine dubio fuisset explosus. Ac Apostoli quidem non armorum terrore vel prælijs ad se traduxerunt homines, sed concionibus, disputationibus & enarrationibus Evangelicis, & miraculis, quibus hereticos, & omnes veritati se opposcentes convicerunt, donec si-

nec si-